

mam reverendam esse in senibus, venerabilem in Sacerdotibus, decoram in adolescentibus, comam in mulieribus, dulcem in pueris. Tolle arboris comam, arbor ingrata est: tolle humani capitis capillum tota pulchritudo flarescit. Postquam tamen eò res processit, ut oneris sit quod honoris esse deberet, & in capillamenti prolixitate, crispatione, & circinatione, tota quasi dignitas & cura, non à Nobilibus tantum viris, verum & à plebeis & mechanicis hominibus constitui cepit, justè sanè ejusmodi excessus, & abusus à Me (r), & doctis aliis cordatisque viris (s) reprehendi potuit.

29 Et à D. etiam Ambrosio (t), qui alioqui comam laudavit, reprehensus reperitur, quatenus inquit: *Quam deforme autem virum facere opera muliebra? Ergo pariant, qui crispant comam ut femine, & tamen illæ vellantur. Verum habeant excusationem, qui patrios usus sequuntur, sed tamen barbaros, ut Persæ, ut Gotbi, ut Armenii: major quidem est natura, quam patria. Quem locum quidam nostri temporis Vates non invenustè egregio hoc Epigrammate adumbrase videtur:*

*Si vir, ubi virtus? Nemo sine viribus est vir.
Si vir, ubi virtus mascula digna viro?
Non vir: sed virus populi, exitumque juventæ,
Cui te femineum non pudet esse marem?
Cui calamistrator discis crispare capillos?
Viribus indocilis, bellica ad arma rudis.
Pone ense jam, sune colam, trabe pollise fusum
Non sexus, sed virtus efficit esse virum.*

30 Extat etiam in ejusdem vitii detestationem mirabile factum Godefridi, Ambianensis Episcopi, apud Laurentium Landmeterium (u), & non minus notabile dictum in Actis Sancti Sebastiani. Ad cujus reformationem juxta nostri Emblematis monitum, nullum potentius, præsentiusvè edictum reperiri poterit, quam Regis, Procerumque aulae Regiæ exemplum, ut ex superioribus patet.

31 Quod etiam, quam potens esse soleat in iis, quæ ad materiam Religionis spectant, adeò, ut meritò in Adagium transire poterit, quòd *Cujus Regio est, ejus & Religio*, sive quòd Religio est sequela jurisdictionis, pluribus Ego alibi (x) etiam prosequor; & si quid est, quod addere liceat; videre poteris Sozomeum (y) & Theodoretum (z), qui quantum hac in re Arcadii & Honorii exemplum præstiterit, latè commemorant. Et Sanctus Joannes Damascenus (a), post Plutarchum in Numa, qui hujus exemplo docet, *Quod homines ad Religionem facillimè Principis ductu possunt emoliri, atque traduci.* Ut quondam Gallia vidit in suo Clodovæo, uxoris meritibus & monitis ad capessendam Christianam Fidem converso, ut Robertus Gaguinus, & alii illius Regni Scriptores enarrant; & Polonia in Jabellone Lituaniæ Rege, qui referente Cromero (b) anno millesimo trecentesimo octuagesimo secundo, cum esset Gentilis, & appeteret conjugium Heduvigiis Regiæ Poloniæ, quæ Christiana erat, promissit, se pariter, & fratres, & gentem suam omnem Christianis mysteriis initiari. Et conditionibus acceptis, ipse baptizatus fuit, & in Baptismo *Uladistal* nomen accepit; & statim populus tanta contentione Baptismum appetebat, quòd cum immensi laboris esset, singulos sacro fonte tingere, nobilioribus tantum hic honor habitus, reliquum verò vulgus turmatim distributum, lustrali aqua, sive sacra à Sacerdotibus conspersum est, unumque pro tunc nomen cuique turmæ, tam virorum, quam mulierum inditum. De qua Baptismi forma, quid sentiendum Ego (c) aliis relatis edissero.

EM

(r) Ego sup. ex num. 37.
(s) Navarrete in *discurs. polit.* 14. Acuña in *notis ad decret.* pag. 173. & 174. Alf. Carranza in *lib. contra los malos trages*, pag. 2. per tot. & alii.
(t) D. Ambros. cap. 23. *Deuter. epist. ad Irem.*
(u) Landmet. de *vet. Cler. lib. 1. part. 1. cap. 6. Ego sup. num. 44.*

(x) Ego 2. tom. lib. 1. cap. 26. ex num. 38.
(y) Sozom. lib. 8. cap. 1.
(z) Theodor. lib. 5. cap. 29.
(a) Damasc. in *histor. Barlaham*, cap. 33.
(b) Cromer. lib. 15. pag. 355.
(c) Ego d. lib. 1. cap. 26. num. 39.

EMBLEMA XXX.
MAGNUS IN MAGNIS.



*Quam vanè Astrorum Divumque papilio Regem
Occupat, huic alas dum penecillus agit.
Ingentes animos, dignas Jove concipe curas,
Unde ingens Princeps, quem leviora premunt?*

COMMENTARIUS.

1 **Q**UAM ergo tot sint ac tanta, quæ Reges ac Principes anxios, & sollicitos redere possint, si dignitati suæ, & orbis expectationi, ut oportet, responde re desiderant, eò impensius eisdem enitendum est, ut ipsorum animus Republicæ potius commodis, quam voluptatibus studeat, & in seriis curis, ac laboribus occupatus, omni nimio lusu, luxuque seposito, nihil jucundius, nihil voluptuosius sibi habeat, ac ducat, quam illius tranquillitatem, quam civium mores, quam legum auctoritatem. Hæc meditari, hæc procurare, hæc tueri, eorumder sit alea, lusus, venatus, & amores, qui numinis vice inter homines sunt, ad quorum nutum ut alibi inquit Seneca (a), tot hominum millia stringunt ferrum, & in mortem ruunt, à quorum providentia pendent tot urbes, tot regna, & quibus, hoc privilegium inter alia fortuna concessit, ut quodcuique mortalium datum velit, eorum ore pronuntiet, & ex eorum responsis latitiæ causas populi, urbisque concipiant. Unde secundus eundem Senecam (b), Fortunæ manus esse dicuntur.

2 Quod, ut ipsis Principibus insinuemus, hoc Emblema præfigimus, quod *Magnos in Magnis* occupari debere demonstrat, sumptum ex Momus (c), ad Luciani (d) imitationem, mordacitate, qui, ut plures tradunt, cum vanos suos Deos irrisisset, quos delusa Gentilium Antiquitas coluit, & quod magis dolendum est, in Christum etiam Dominum, ac servatorem nostrum impio & blasphemio ore bacchatus fuisset, propter quod à canibus discretus ac dilaniatus.

X 2

(a) Senec. lib. 1. de Clem. cap. 3.
(b) Idem de Constantia, cap. 8.

(c) Momus Alberti Floret. lib. 1.
(d) Lucian. in *simili in Icaro Menip.*

tus interit; ut Lactantius (e) Firmianus, Caelius Rodiginus (f), Suidas (g), Baronius (h), & alii literis tradunt, in quodam Dialogo Jovem induxisse fertur, Papilionum alas, (quos vulgo Mariposas vocamus) summo studio deaurantem ac depingentem, alii interim negotiis, ac curis valere jussis, & in illum ironice, O Magnus in Magnis, exclamat. Sic nobis ansam tribuens, ad Principes commendos, ut a nugis abstineant, & quos pluribus titulis ornavit fortuna, eo magis contendant, dignis suo munere curis, occupationibusque sedulam operam exhibere, cum vel in suo illo Deo nebulo ille, & male feriatus Sophista, sive Atheista, ob studium sive vacationem, quam iis contrariam existimavit, ab hac, quam dixi, subsanatione non abstinuerit.

3 Cui similis fuisse videtur Apollonius Thianeus, tantopere celebratus, cum, referente Philostrato, (i) cum Damide disputaret, cur Juppiter quandoque, distractis ab invicem nubibus, in eisdem videantur, non solum delineare, verum & pingere centauros, hircones, cervos, lupos etiam, aut equos, & ejusmodi alia, quasi pictoris officio fungatur hic Deus, volatilique curru quandoque relicto, quo delatus divina humanaque gubernat, hujusmodi ludibria depingens, sedeat, sicut pueri in arena pingere solent? Quo ex loco Nicolaus Causinus (k) aliud Symbolum, nostro in omnibus simile, delineavit, de eodem Jove, hos hircones, & Centauros, ita (ut diximus) in nubibus pingete, cum lemate, Princeps in nugis occupatus.

4 Absit tamen ut existimet quispiam, Nos in vero, summo, ac maximo quem colimus, Deo, hanc opera, quae nobis inutilia vel frivola primo aspectu videri possunt, ullatenus succensere; nam in eorum quolibet, quantumvis contemptibili, summam ejus omnipotentiam agnoscimus, nec quicquam, ob horum curam, utilioribus aliis detrahi profitemur, Theodoretus (l) sententiae adherentes, dum ait, quod qui Deum accusant, quod animalcula, ut publices, & pediculos formaverint, similes esse videntur his, qui picturae ignari, id accusant, quod pictor rendentes colores ubique non adhibuerint, cum tamen ille congruis singulis distribuerit, cum locis. Nec aliter faciunt, ac si quis propterea tragediam accuset, quod Heroes cuncti non sint, qui in ea loqui indicantur, sed quod aliqui in ea, vel famulitii ordinis, vel agrorum colonus, vel ineruditus, infimaeque notae loquatur.

5 A quo non procul abest Tertullianus (m), qui in eisdem animalculis Dei omnipotentiam agnoscens, ita elegantissime loquitur: Animalia minutiora maximus Artifex de industria ingentis, aut viribus amplavit. Imitare, si potes, apis aedificia, formicae stabula, araneae retia, bombycis stamina. Sustine, si potes, illas ipsas leliuli, & tegetis tui bestias, cantharidis venena, muscae spicula, culicis & tubam, & lanceam. Quas erunt majora, cum tam modicis, aut juvaris, aut lederis; ut nec in modicis despicias Creatorem. Postremo te tibi circumfer, intus ac foris considera hominem, placebit tibi, vel hoc opus Dei nostri, quod tuus Dominus ille Deus melior adornavit, propter quem in hac paupertina elementa de tertio caelo descendere laboravit; cujus causa in hac cellula Creatoris crucifixus est, &c. Accinitque Salvianus (n), prudenter monens, ne in his, aut aliis, qua de causa a Deo fiant requiramus: Homo (inquit) sum, non intelligo secreta Dei, investigare non audeo, & idem etiam attentare reformido. Quia & hoc ipsum genus quasi sacrilegae temeritatis est, si plus scire cupias, quam sinaris, &c.

6 Quod igitur hoc nostro Emblemate intendimus est, aurum, ut est in proverbio (o), ex Momi vel Luciani stercore colligere & vel hoc exemplo (ut dixi) Principes, ne in similem reprehensionem incidant, admonere. Etenim, si in quovis privato homine, juxta Ciceronis (p) sententiam: Quod in rebus honestis, & cogitatione dignis, operae curaeque ponetur, id solum fore laudabitur. Cui concinens Aeschiles (q) dixit: Ne in tuis laboribus temerè, que nihil juvant. Plinius (r): Nam diligentiam in supervacuis effectare, nostrum non est. Phaedrus (s): Nisi utile est quod facimus, stulta est gloria. Et Ecclesiasticus (t): In supervacuis rebus non eris curiosus.

7 Unde in Adagium (u) transit: Santius esse, quam nihil agere, hoc est, quam inaniter vexari, difficiles nugae habere, & quod ait Seneca (x): ingenium inter irrita exercere, & dis-

(e) Lactant. lib. 1. de fals. relig. cap. 9.
 (f) Rodig. lib. 6. cap. 17. lib. 9. cap. 19. circa fin.
 (g) Suidas verb. Lucian.
 (h) Baron. ann. Christ. 171.
 (i) Philos. in vita Apoll. lib. 2. cap. 4.
 (k) Causin. in Polisth. symb. lib. 2. cap. 4.
 (l) Theod. lib. 6. Graec. affect.
 (m) Tertul. in lib. contra Martian. tetigi sup. Emb. I. ad fin.
 (n) Salvian. lib. 3. de gub. Dei.
 (o) Cognat. inter proverb. Erasm. pag. mibi 402.
 (p) Cic. 1. de offic.
 (q) Aesch. apud Clement. Alexand. lib. 5. Strom. in princip.
 (r) Plin. in Praem. lib. 17.
 (s) Phaedrus lib. 1. fab. 16.
 (t) Eccies. 3. 24.
 (u) Erasm. in Adag. Nihil agere, pag. mibi 323. & 336.
 (x) Senec. de brev. vit. cap. 13. & in epist. 117.

putationibus nihil pro futuris otium terere. Et similiter: Araneorum telas texere, pro eoquod est, in refrivola nulliusque frugis infinitum, atque anxium capere laborem. Quod ad disputationes dialecticas, sapius inanes, ex Zenone accommodavit Erasmus (y), & eis non relatis, novissimus Schoonhovius (z), de hoc peculiare Emblema conficiens adversus Sophistas. Necnon & illud: Militum terebrare, sive perforare; quod in eos dicitur, qui in re difficili, sed prorsus inutili laborant, atque etiam aliud: Magnus versator in re pusilla, ex Eudamide apophthegmate sumptum in musicum quemdam, qui feliciter cecinisse videbatur (a): Quod existimaret, operosum esse scientiam, sed nihil adferentem utilitatis; quia ut bene ille alter (b):

Turpe est difficiles habere nugas,
 Et stultus labor est ineptiarum.

8 Quid in Regibus, & principibus hac in parte dicere, sentire debemus? qui ut alibi ex Seneca, & aliis (c) retulimus, cum pra omnibus sint, pro omnibus esse debent, & pro salute singulorum, atque universorum curare, & excubare. Qui sunt imago & exemplar Dei in terris, rerum moderatores, & arbitri. In quorum manu positae opes, dignitates, vita omnium nostrum, & de quibus Dominus apud Isaiam (d) dicit, Princeps vero, ea que digna sunt Principe cogitabit, & ipse super Duces stabit. Et Erasmus (e): Verum Regibus, si sapiunt, non vacat ludere: quodque in privatis hominibus luxus, & nequitia est, in Principe impietas est.

9 Audiendus est quoque Xenophon (f), qui de eisdem Principibus agens, etiam cum tesseris ludunt, luxu, joci, risui, histrionibus, morionibus, & aliis voluptatibus, rebusque minus seriis, & necessariis, quamvis artificiosis, se dedunt, otiosos esse inquit, quamvis videantur aliquid facere, qui talibus dimissis. Ut de illis judicavit Aelianus (g), qui quadrigas fecerunt, quae sub muscae ala possent abscondi: & in sesamo distichon elegejum literis aureis inscripserunt: Quorum sane (inquit) neutrum mea sententia, nemo prudens, & virtutum studiosus laudibus praedicabit, quid enim haec aliud sunt, quam temporis vana perditio?

10 Quis enim otiosus non fuisse dicit Homerum, dum murium, & ranarum praelia, tanto studio sub Batrachomyomachiae nomine elucubravit, Virgilium de Culice ita serio canentem, Synesium de laudibus Calvitii commentantem, ipsum quoque perfidum Lucianum muscae encomium pangentem, Antonium Majoragium, Lutum, & Anonimum Batavum, Asinum laudantes, quamvis Statuis Papinianus (h) similes nugas excusare videatur.

11 Et ut de Regibus & Imperatoribus agam, nemo non novit, quam probrosum Neroni fuerit, Imperii curas relinquere, & musicae, citharae ac ludis theatralibus inservire, in quibus, Suetonio (i) teste, vocem illam audire meruit, Vides ut citaredus digito orbem temperet. Domitiano, & Commodus, nimia sagittandi peritia, & studium, de quo idem Suetonius (k), & alii (l) mira commemorant, & qualiter se solerent in solariorum ad muscas ballista, vel stili acie configendas, recludere. Quod etiam sagittandi studium, ut nimium, in Gratiano (melioris alicui indolis Imperatore) Cedrenus (m) notavit, & quod ejus tela alicui mente praedita esse dixerunt. Ut & in Heliogabalo Lampridius (n), quod servis suis araneas per totam Romam diligenter congerere jusserit, quibus congestis & ad decem librarum millia depensis, vel ex hoc colligi posse dixit, quanta esset urbis Romanae magnitudo.

12 Pluribusque aliis relictis, quamvis Musicae, & Poesis studium in se laudabile sit, pariter tamen ac in Nerone, vitio verti meruit Domino Regi nostro Joanni II. quod licet haec egregie calleret (adeo ut multa poemata Joannis de Mena peritissime emendasse legamus in epistolis Archiatri sui Albari Gomecii (o) de Ciudad Real) eis tamen plus justo vacabat, & animum impendebat, Regni curas & habenas, imò & se ipsum totum aliorum gubernationi relinquens, ut Joannes Mariana (p), & alii testantur.

13 Et certe, ut Cato Major apud Plutarchum (r) edocuit, sepiissime contingit, ut qui in rebus ejusmodi ludicris & nugatoriis, scrii sunt, in seriis deficiant, vel ridiculi habeantur, & secundum doctrinam Aristotelis (s), vile exercitium putandum est, & ars, & disciplina, quae-

(y) Erasm. ubi sup. pag. 323.
 (z) Schoon. Emblem. 64.
 (a) Erasm. sup. pag. 324.
 (b) Idem pag. 348.
 (c) Sup. Emb. 12. & seqq.
 (d) Isai. 33. 8.
 (e) Erasm. epist. 23. cent. 10.
 (f) Xenophon. de disc. & fact. Socrat. lib. 3.
 (g) Aelian. de var. hist. lib. 1. cap. 17.
 (h) Statius Papin. in pref. suor. carm.
 (i) Suet. in Neron.
 (k) Idem in Domitiano, & Eutrop. lib. 9. cap. 3.
 (l) Erasm. in Adag. Ne muscas quidem, Surd. & Herod. in Commod. Sabell. lib. 5. en. 6. & lib. 10. exemp. cap. 11.
 (m) Cedren. in Gratiano.
 (n) Lamprid. in Heliog.
 (o) Alvar. Gom. epist. 8.
 (p) Marian. hist. Hisp. lib. 22.
 (q) Guzman en el Mar de histor. cap. 172. Saavedra Emblem. 71. pag. 543.
 (r) Plut. in Apoph.
 (s) Arist. lib. 8. Polit. cap. 2. & 7.

cumque, corpus, aut animam, aut mentem liberi hominis ad usum, & opera virtutis inutilem reddens. Hæcque tria disciplinam spectari oportet, ut medium teneatur, ut fieri possit, ut deceat. Nemo autem justè dicere poterit Regibus ac Principibus decens esse, quod proprium & præcipuum sui muneris est, & esse, debet, omittere, & in rebus vel disciplinis minus utilibus tempus terere.

13 Cujus jacturam præ omnibus fugiendam esse, cum rerum omnium in humana vita utilissimum sit, meritò passim gravissimi quique Philosophi (t) tradiderunt. Inter quos Seneca (u), ita signanter, ad Lucillum scribens, effatur: *Ita fac ergo, mi Lucile, vindica te tibi, & tempus, quod adhuc aut auferebatur, aut surripiebatur, aut excidebat, collige, & serva. Persuade tibi hoc sic esse, ut scribo, quædam tempora surripiuntur nobis, quædam subducuntur, quædam effluunt, turpissima tamen est jactura, quæ per negligentiam fit. Etsi volueris attendere, magna pars vitæ elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus, &c.*

14 Et hoc Monitum, ultra ea, quæ suprâ retulimus, præclarè Regibus tradidit Rex noster Alphonsus X. in quadam ex suis legibus (x), ubi postquam oblectandi animi gratia, & labores serios hilariter capessendi, ludos aliquos, venatum, musicæque delicias eisdem permisit, hæc verba subjungit: *E quien de otra guisa usase de estos placeres, recibirá ende grandes pesares en lugar de placeres, è tornarsebía como en manera de tafurería, que es cosa de que vienen muchos daños, è muchos males, è pesa mucho á Dios, è á los omes, porque es contra toda bondad. E porende el Rei que non soplesse de estas cosas bien usar, segun de suso diximos, sin el pecado de la mala estanza, que le ende vernia, seguirlebia aun de ello gran daño, que envilecería su fecho, dexando las cosas mayores, y buenas por las viles.*

15 Quam legem præ oculis habuisse videtur Philippus Cominæus (y), dum Reges taxans, qui per ignaviam, & otium muneri suo deficiunt, & in calamitatem aliquam incidunt, sic prosequitur: *Qui verò ita se comparant, ut maximam temporis partem seris occupationibus, reliquam autem liberalibus, & honestis oblectationibus impendant, magnam illi sanè laudem merentur, & ò felicem populum, cui talem contingit habere Principem.*

16 Et in idem tendit, secundum Stephanum Guazzum (z), à Camerario (a) relatum, reprehensio Philippi Regis Macedoniæ erga Alexandrum filium benè canentem, non enim tam in Musicæ vituperium processit, quam quòd Alexander huic studio nimium intentus, quasi Musicam profiteri videretur, & minus curare ostenderet, quæ sibi quam maximè convenirent.

17 Quod etiam congruit cum Quæstori illius viri exemplo, qui à Domitiano Consiliario- rum ordini exemptus fuit, quòd nimio gesticulandi, saltandique studio teneretur, ut in ejus vita Suetonius (b) scripsit.

18 Planè ubi res, quæ in se primo adpectu parvæ videntur, ad majorum graviorumque curam conducunt, & diriguntur, non est notandus, sed laudandus Princeps, qui de eis etiam sollicitus est, damnato errore Euripidis apud Plutarchum (c), dum dixit, quòd *Ut Deus Rex mundi magna curat, parva relinquens fortunæ, ita Princeps non nisi in gravibus, & arduis negotiis exerceri debet.* Nam ut benè advertit Conradus Lycosthenes (d), Euripides hic, ut homo Ethnicus loquutus fuit, etenim Christiani Deum omnia curare credimus, & fatemur, & ad ejus imitationem Principes etiam in parvis sollicitos esse debere, ubi ex illis ad majora proceditur. Rectissime enim à Damasceno (e) docemur: *Parvi enim parva non sunt, ex quibus magna pro veniant.*

19 Quam etiam sententiam D. Hieronymus (f) ita scriptam reliquit: *Non sunt tamquam parva contemnenda ea, sine quibus magna constare non possunt.* Et in eandem consentiens Libanius (g): *Optimi quique (inquit) Magistratus arbitrantur, accuratam in parvis diligentiam, majorum esse conservationem.* Et Tacitus (h): *Magnarum rerum curas non dissimulatu- ros, qui animum etiam levissimis adverterent.*

20 Quibus addere licet celebrantissimum illud Pauli Æmilii Apophthegma, qui, teste Plutarcho (i), dicere solebat: *Ejusdem esse ingenti, & aciem, & convivium instruere.* Et Cassiodorum (k), qui Præfectum quemdam Theodorici Regis, hoc nomine laudat, quòd *Ejusdem*

(t) M. Varro, Plutar. in Pericle, & in Antonio, Thoph. apud Laert. lib. 5. Lips. cent. 3. ab Belus, epist. 49. Petrarc. dial. 15.

(u) Senec. epist. 1. ad Lucil. quem etiam vidit in lib. de brevitate vite.

(x) L. ult. tit. 5. part. 2.

(y) Comin. lib. 10. hist.

(z) Guazz. de civil. conv. lib. 2.

(a) Camer. cent. 3. cap. 98. in fin.

(b) Sueton. in Domitiano, cap. 8.

(c) Plut. in Apoph. Erasim. in simil.

(d) Lycosth. in fin. pag. 109.

(e) D. Damasc. lib. 2. de imag.

(f) D. Hieron. in epist.

(g) Liban. declam. 29.

(h) Tacit. 13. Annal.

(i) Plut. in Paul. Æmil.

(k) Cassiod. lib. 1. epist. 43.

dem Regis curas sermone suavitate deliniret, & tanta se animi puritate clarificavit, ut cum apud Nos mereret aulicas dignitates, spectaculorum ordinatione, letissimam sibi militiam vindicaret.

21 Qui & idem (l) in alia Epistola sub nomine ejusdem Theodorici ad Boëtium Severinum scripsit, ut horologia duo ad se destinaret, Burgundionum Domino transmittenda, addens, plerumque res parvas plus solere præstare, quam magnæ possunt obtinere divitiæ. Frequenter enim, quod arma explere nequeunt, oblectamina suavitatis imponunt: *Sit ergo (inquiens) pro Republica, & cum ludere videmur. Nam idè voluptuosa quærimus, ut per ipsa seria compleamur.* Et eundem Boëtium eximie commendans, quòd cum multa esset eruditione saginatus, & in seriis rebus omnibus admirandus, hoc tamen in impedimento non fuerit, ut artes & disciplinas, quas exercent vulgariter nescientes, in ipso disciplinarum fonte potaverit. Et quascumque fræcunda Græcia per singulos viros edidit, ipso uno auctore, patrio sermone Roma susceperit, dum faciebat aquas ex imò surgentes, præcipites cadere, ignem ponderibus currere: organa extraneis vocibus insonare urbes munire, maria siccare, metalla mugire, Diomedis in ære grues buccinare, Æneus angues insibilare, aves dulcem emittere cantilenam, & cælum sic imitari, ut Solem fecerit in Archimedis Sphæra decurrere. De quibus rebus præter Cassiodorum, Gregorius Martianus, Rota (m), & Beyerlinchius (n) latius scribunt, & Nos hic ob earundem admirationem memoriam facere volumus.



EM-

(l) Idem eodè lib. epist. 45.

(m) Rota in vita Boet.

(n) Beyerlinch. lit. M. pag. 339.

EMBLEMA XXXI.
SIC MISCE GAUDIA CURIS.



Quid caput hic galea? Ferro quid pectora molis
Asperat? Et pugna, & cytaerus erit?
Femineas ne crede manus: nam monstrat Achilles,
Ut liceat bello substituisse chelym.
Viribus adjiciunt præfractis otia robur;
Nec satis ad pugnas irrequieta manus.

COMMENTARIUS.

M Aneat igitur firmum, & stabile, quod in superiori Emblemate diximus, præcipuas nimirum Regum, & Principum curas, & occupationes, Regias ac serias, & tali tantoque munere dignas esse debere, & aliud esse Sceptrum, aliud pletrum, ut Stratonicus Ptolæo Regi dixisse narratur (a).

2 Sed non tamen idè existimet quispiam, Nos ita prorsus his semper curis ac laboribus intentos eosdem requirere, vel ita tetricos, & austeros, ut non aliquando seriis ludricis possint intermiscere, atque illud Catunculi (b) monitum sequi.

Interpone tuis interdum gaudia curis,
Ut possis quemvis animo perferre laborem.

Quod & idem Horatius (c) probat, dum dixit:

Misce stultitiam consilii brevem,
Dulce est desipere ad tempus.

Et Ecclesiastes (d) inquit: Pretiosior est sapientia & gloria, parva & ad tempus stultitia
3 Scimus quippè ita comparatum esse humanum ingenium, ut non minùs interdum ludum & oblectamentum aliquod, quàm negotium sibi quaerat, & vel in Adagium (e) transiisse: *Jo-*

candum est, ut seria agas, quia juxta vulgatum illud Ovidii (f),
Quod caret alterna requie durabile non est,
Hec reparat vires, fessaque membra levat.

4 Et ut dicebat Anacharis (g), animus hominis arcui similis est, qui nisi honestis recreationibus remittatur, vel mollescit. Ad quod alludens idem Ovidius (h) dixit:

Arcus & arma tue tibi sunt imitanda Dianæ,
Si nunquam cesses tendere mollis erit.

(a) Erasm. lib. 6. Apoph.
(b) Dionys. Cato in dist. lib. 3.
(c) Horat. lib. 4. od. 12.
(d) Eccles. 10. 1.

(e) Erasm. in hoc Adag. pag.
(f) Ovid. epist. 4.
(g) Anachar. apud Laer.
(h) Ovid. ubi supra.

Eo-

Eodemque exemplo Amasis Ægyptiorum Rex, sibi lusus aliquos obtrestantibus, satisfacit, ut Herodotus (i) commemorat. Et Divus etiam Joannes Evangelista, adolescenti, qui cum iridebat, quòd aliquando cum perdice ludere soleret, ut ex aliis Baptista Fulgositus (k) recolligit. Et idem innuit lex nostra Partita (l), dum inquit: *Cada cosa que alguna vegada non fuega, non puede mucho durar.*

5 Neque abest Plato (m), quatenus docet: *Nostram omnem vitam in remissionem, atque studium esse divisam; & ejus discipulus Aristoteles (n), qui Inter negotia magis ludis esse utendum (inquit) nam qui laboribus exercetur, is alternam requiem desiderat, & idè simul mentem & corpus laboribus fatigare non convenire, quoniam hi labores contrariarum rerum efficientes sunt; labor enim corporis, menti est impedimentum, menti autem, corpori.*

6 Quod adèd verum & necessarium reputavit Cicero (o), ut dicat, sibi liberum non videri, qui non aliquando nihil agit; hoc est, ut Erasmus (p) tradit in Adagio, quod ex hoc dicto collegit, qui non interdum sibi vacat, otio indulget, & ab operibus cessat. Nam secundum Senecam (q): *Ut fertilibus agris non est imperandum, citò enim exsauriet illos nunquam intermissa fecunditas, ita animorum impetus assiduus labor franget vires recipient paululum recreati. Nascitur ex assiduitate laboris animorum quædam hebetatio, & languor.*

7 Et nihil est, quod hæc non conterat, & exedat, si opportuna quies, & laxatio non imisceatur, ut verissimè & scitissimè canit Ovidius (r) iterum nobis ad partes vocandus) sic inquit:

Cernis ut in duris, (& quid bove firmius?) arvis
Fortia taurorum corpora frangat opus:
Que nunquam vacuo solita est cessare norali,
Fructibus assiduus lassa senescit humus;
Occidet, ad Circi si quis certamina semper
Non intermissis cursibus ibit equus,
Firma sit illa licet, solvetur in æquore navis,
Que nunquam liquidis sicca, carebit aquis.
Me quoque debilitat series immensa laborum,
Ante meum tempus cogor, & esse senex.
Otia corpus alunt, animus quoque pascit u r istis,
Immodicus contra carpit utrumque labor.

8 Ad quorum carminum imitationem Natalis Comes (s) hæc edidit:

Nam labor assiduus fertur domitare leones;
Hinc jubet alterne luci succedere noctem
Natura alma Parens, servandis provida rebus.
Hinc & Atlanteos humeros recreasse labantes,
Dicitur Alcides, tenuit cum pondera mundi, &c.

9 Et plurimis aliis relictis, quæ obvia sunt, & à Valerio Maximo (t), Cælio Rodigino (u), & aliis (x) collecta, uno ore docentibus. *Otium industriæ subnecti debere, non quo evanescent virtus, sed quo recreatur; audi precor Cassiodorum (y), qui hanc rerum intermissionem & mutationem hominibus connaturalem esse his verbis ostendit: Nemo dubitat, homines sua varietate recreari, quia in continuatione rerum magnum mentibus constat esse fastidium. Dulcedo melis si assidue sumatur horrescit: serena ipsa quamvis magnopere desiderentur, jugiter adepta sordescunt. Non immeritò, quòd cum sit homo commutabilis, naturæ suæ desiderat habere qualitates. Qui & ipse alibi (z), magis adhuc ad rem, de qua agimus, inquit: Reges Republicæ consulere, etiam cum ludere videatur. Nam idèd voluptuosa sequuntur, ut per ipsa seria complectantur.*

10 Et ubi hæc insuper non habentur, illis, intra debitæ moderationis terminos licitè & honestè vacare permittit, quia non videtur ab officio, & labore ei injuncto, recedere, qui se aptiorem, & habiliorè ad ipsum exercendum reddit. Vegetæ quippè, & strenuæ mentes, quò plus recessus sumunt, hoc vehementiores impetus edunt, ut in salino fontis videmus contingere, cujus, ut alibi dixit Statius (a):

(i) Herodot. lib. 2.
(k) Fulgos. lib. 8. cap. 8.
(l) L. 2. tit. 5. part. 2.
(m) Plato de lib. educ.
(n) Arist. lib. 8. Polit. cap. 4. & lib. 18. cap. 3.
(o) Cic. lib. 1. de orat.
(p) Erasm. in Adag. pag. 549.
(q) Senec. de irang. vit. c. 15.
(r) Ovid. lib. 1. de Ponto, Eleg. 5.

Y

(s) Nat. Com. in Myt. pag. 711.
(t) Valer. lib. 8. cap. 8.
(u) Rhodig. lib. 1. cap. 1.
(x) Alciat. & Minoes in princip. Emblem. Cassan. in Pref. ad Catal. glor. mund. Martinez in proam. Dial. relati.
(y) Cassiod. lib. 7. epist. 36.
(z) Idem lib. 1. epist. 45.
(a) Stat. in Sylvio.

Ex

Vires instillat, alitque
Tempestriva quies, major post otia virtus.

11 Ex quo simili, symbolum sumpsit noster D. Didacus Saavedra (b) Fajardus, ad hoc ipsum monium, de quo agimus, suadendum; ubi illud Aristotelis (c) citat. Otium enim tum ad virtutes ingenerandas, tum ad civilia munera obeunda, requiritur. Et citare etiam potuit Ciceronem (d), eandem sententiam his verbis tradentem: Homines quanto in rebus turbidis, tamē si modo homines sunt, interdum animis relaxantur, ne ex nimia restrictione tristitia generetur.

12 Nos autem, nostro hoc (ut apparet) Emblemate, idem non minus congruenter (ni fallimur) insinuamus, Achillem armatum, simul tamen cytharā, sub Chironis Centauri disciplina, deditum, depingentes. Quod ex verbis Valerii Maximi (e) sumpsimus, qui Homerum sequens, & referens, ita inquit: Homerus quoque ingenii celestis vates, non aliter sensit, vehementissimis Achillis manibus canoras fides aptando, ut earum militare robur, leni pacis studio relaxaret. Quo quidem in studio, herbisque salutiferis cognoscendis, & in multis aliis artibus, quibus polluit, à Peleo patre; & Thetide matre, Chironem Centaurum, qui eandem apprimē callebat, in præceptorem, & veluti pædagogum accepit, quem hic quoque hac de causa depingimus, ut latè, ultra Homerum (f), Ovidius (g), Statius Papinianus (h), & alii (i) commemorant, simul etiam tradentes, qualiter Achilles Agamemnoni iratus, & ob amissam Briseidam tristis, animi dolorem cytharæ pulsu, & cantu musicæ deliniret.

13 Quibus Ælianus (k), eandem sive historiam, sive fabula tangens, hæc addit: Videtur autem mihi Achilles etiam in Illiade cum accinit cytharæ, veterumque res gestas cantando sibi ipsi in memoriam accersit, furorem & indignationem sopire. Etenim cum esset musicus, ex spoliis hosti ereptis, primam arripuit cytharam.

14 Sed & ultra ferocis Achillis exemplum, quem Natalis Comes (l) addit à Chirone non lacte, sed leonum visceribus, aprorumque, & ursorum medullis nutritum, passim suppetunt alia clarissimorum, doctissimorumque virorum, & Principum, qui similibus oblectamentis, modestisque facietis, animorum vigorem recreare, & sic ad honestos labores se alacriores reddere consueverunt. Nam Pythagoram legimus, cythara quoque, ut Achilles, se excitare solitum, ubi evigilasset; quo scilicet esset ad functiones obeundas, & djuturna munia expeditior; & cum somnum peteret, rursus testudine mentem leniebat, quò affectus reddere sedatior. Cato vino laxabat animum curis publicis fatigatum. Cum pueris Socrates Seneca (m) teste, ludere non erubescat (n), & quidem in arundine equitando, ut Valerius Maximus addit.

15 Cujus & illud dictum laudatur: Otium possessionum omnium optimam esse. Otium autem sensit, non ignaviā, sed à tumultuosis negotiis, & cupiditatibus, animi tranquillitatem vitiantibus, remissionem.

16 De Scipione quoque, & Lælio, post Ciceronem (o), idem Valerius Maximus (p), & alii passim enarrant, qualiter rerum publicarum cura defessi, conchas, & umbilicos ad Cajetam & Lucrinum legere, & ad omnem animi remissionem ludumque descendere consueverunt. Quo respicit Horatianum (q) illud:

Quin ubi se à vulgo & scena in sereta remorant
Virtus Scipiade, & mitis sapientia Lælii,
Nigari cum illo, & discinctis ludere, donec
Decoqueretur olus soliti.

Qui idem Scipio dicere etiam solebat: Se nunquam minus otiosum, quam cum esset otiosus, nunquam minus solum, quam cum esset solus. Innuens nimirum, se tunc vel recreatione, vel meditatione, ad res serias & graves disponere, & præparare, & ejusmodi otium non otiosum sed negotiosum (ut supra diximus) esse censendum. Cum contra ut prudenter dixit Ennius (r) ab Agelio laudatus:

Otio qui nescit uti plus negotii habet,
Quam cum est negotium in negotio.

De

- (b) Saaved. in Id. Pol. symb. 72. pag. 549.
- (c) Arist. 7. Pol. cap. 9.
- (d) Cic. 2. Phil.
- (e) Val. Max. lib. 8. cap. 8. de otio laudato, post Hom. Illiad. 9.
- (f) Hom. in Illiad.
- (g) Ovid. 2. & 6. Memorpb.
- (h) Stat. 2. Achilleid.
- (i) Nat. Com. in Mythol. lib. 4. cap. 12. pag. 377.
- (k) Ælian. lib. 14. cap. 23.
- (l) Natal. ubi sup. lib. 9. cap. 12. pag. 1001.
- (m) Senec. de Tranq. anim. cap. 15. ad fin.
- (n) Xenophon. de dict. & fact. Socrat. Stob. serm. 28.
- (o) Cic. in lib. de orat.
- (p) Valer. d. lib. 8. c. 8. Eras. in Adag. Conchas legere.
- (q) Horat. lib. 2. saty. 1.
- (r) Ennius apud Agel. lib. 19. cap. 10.

17 De quo loco, & aliis ad otii detestationem pertinentibus, alibi (s) fassius agemus, nunc ad Augustum Caesarem transeunt, qui licet laudatissimus fuerit Imperator, alex aliquando indulgebat, ut Suetonius (t) refert, notabilem ejus ad Tiberium epistolam addens, de modo, quo se hoc in ludo habere solebat, ut hilaritatem, & animi sui liberalitatem ostenderet, qua etiam intentione, & imitatione Prudentissimum Regem nostrum Philippum II. eidem ludo indulgisse, Pascasius (u) Justus est Auctor.

18 Ipse etiam Tiberius, ut Tacitus (x) narrat, quamvis Imperio, & Imperii artibus attentissimus, hoc se & aliis ludis oblectari solebat, & magnus ille Agesilaus ab Æliano (y), & aliis memoratur, cum Infante filio arundinem equitasse, postquam diuturnam operam publicis rebus multa cum laude impendisset. Unde emanavit illud Horatii (z).

Ludere par impar, equitare in arundine longa.

19 Et sunt sexcenta alia similia antiquorum, & recentiorum exempla, quæ Alexander ab Alexandro (a), Franciscus Petrarcha (b), & alii (c) recensent. Quibus addere licet Marcum Antonium Philosophum Imperatorem, qui Imperii mole, & Philosophiæ studiorum assiduitate defatigatus, animum jam lassum, aut pila, aut pictura recreabat. Altera enim corpus exercebat; altera, immutato cogitandi genere, una cum corpore, ut Fulgosus (d) tradit, spiritum renovabat. Prout & Alexander ille, re licet, & nomine Severus, qui, ut Lampridius, & Cuspinianus (e) scribunt, facundia Græca excellens, musicæ valdè deditus erat Iyraque, tibia, & organo ac tuba canere, ad graviorum curarum intermissionem solitus fuit, sed post Imperium adeptum, nunquam alio consilio, nisi pueris suis testibus.

20 Quod etiam de Rege ac Domino nostro Philippo IV. quem Deus sospitet, Saavedra (f) testatur. Quem tamen scimus, & experimur, nunquam ita huic, vel aliis oblectamentis intendere, ut majores curas à se abdicet, ut idem Auctor (g) alibi de Dom. Rege Ferdinando Catholico; post Marianam, & alios, scriptum reliquit, & ab omnibus cordatis Regibus observari debere in quadam ex suis legibus (h) præcepit Rex Alfonso X. ubi postquam de musica, & aliis permissis delectationibus egit, inquit: E maguer, que cada una de estas fuese fallada para bien, con todo eso non debe omē de ellas usar, sino en el tiempo que conviene, & de manera que aya pro, è non daño. E mas conviene esto à los Reyes, que à los otros omes, ca ellos deben facer las cosas muy ordenadamente, è con razon.

21 Musicam porro fuisse, & esse decentissimum, & præsentissimum Regum oblectamentum, & aliarum curarum levamen, satis ab Ecclesiastico suademur, dum dixit: Vinum & musica letificant cor, & super utraque dilectio sapientiæ. Atque aded à magnis viris, & Principibus plurimi habitam, pluribus testimoniis, & exemplis, Policraticus (i), Camerarius (k), & Beyerlinchus (l) ostendunt, & extat elegantissimum ejus encomium Cassiodori (m) in Epistola, quam sub Theodorici Regis nomine ad Boëtium scripsit, rogans, ut cytharedum deligat, quem ad Regem Francorum mittere possit. Sed præstat versus Eobani Hessi (n) in laudem veræ temperativæque musicæ subtexere, qui ita habent:

Quem non blanda juvant varii modulamina cantus,
Huic jecur, & renes, agraque corda stupent:
Nam nihil humanas tanta dulcedine mentes
Afficit, ac melicæ nobile vocis opus.
Tange lyram dixit, animi dolor omnis abibit,
Dulci sonum refovet, tristitia corda melos.

22 Quod etiam non malè expressit ille, quisquis fuit, qui musicam, de se ipsa, his carminibus loquentem induxit:

Vinco, flecto, regno, cantu, dulcedine, plectro,
Dira, cruenta, feros, tartara, monstrea, viros;

Y 2

Lan-

- (s) Infr. Emb. 77.
- (t) Suet. in Aug. cap. 71.
- (u) Paschas. lib. 1. de alexa.
- (x) Tacit. lib. 6. Annal.
- (y) Ælian. lib. 12. cap. 15.
- (z) Horat. lib. 2. saty. 3.
- (a) Alex. lib. 3. cap. 21.
- (b) Petrar. lib. 1. rar. mem. cap. 1. de otio, noviter.
- (c) Southerius de ludic. lib. 3. cap. 1. & 3. Theat. verb.
- (d) Ludus & verb. Ludrica.
- (e) Fulg. lib. 8. cap. 8.
- (f) Lampr. & Cusp. in Alex. Severo.
- (g) Saav. Emp. 6. pag. 37.
- (h) Idem. Emp. 72. pag. 552.
- (i) L. 21. tit. 5. part. 2.
- (j) Policr. de nug. curial. lib. 1. c. 6. & lib. 8. c. 12.
- (k) Camer. 1. subc. cap. 16. & lib. 3. c. 97. pag. 305.
- (l) Beyerl. in Theat. verb. Musica.
- (m) Cas. lib. 2. epist. 40.
- (n) Eoban. Hessius in Epigr.

*Languentes relevo, morituros excito, mæstos
Erigo, pallentes munio, cinco Deos.*

23 Quibus tamen non obstantibus, Henricus Magnus Galliae Rex, ut *Causinus* (o) narrat, dicebat, nihil vetare quominus Regum liberi, musicorum audirent acroamata: musicam autem discere, aut fidibus canere volebat; cum praesertim hæc ars, nihil iis præterquam ad amatorias illecebras sit profutura. Pessimum documentum, & quod perversa naturæ contagione, celeris irreperit animo, quam magistri præceptis egeat. Regum quidem propria in pace instrumenta, sceptrum esse, & manum justitiæ, in bello gladium; hæc iisdem regiè tractanda, hæc utroque tempore usurpanda prædicabat. Prudentiæ, justitiæ, fortitudinis, ceterarumque virtutum temperiem, Regiam planè cantilenam esse musicis legum numeris illigatam, quam quisque quadripartito solus canere posset. Cum quo consonat illud Gelonis apud Plutarchum (p), qui, in convivio, cum lyra circumferretur, ceterique ordine canerent, (nam id apud Græcos honestum habebatur) equum jussit adduci in convivium, facillèque, ac leviter in illum insiliit, significans, hoc esse regalius, quam lyra canere.

24 Ceterum, ut ad rem redeamus, non solum licitum dicimus, Principes sub hac, quam diximus, moderatione, animum demulcere, & Regias curas, atque anxietates paulisper deponere, verum & ipsis, quos regunt, populis, aliquando otiosi, & feriari permittere debent, & ludos, ac festivitates publicas, quibus oblectentur, & exhilarentur, concedere; & citharedum imitari, qui neque nervum intendit, ne abrumpat, nec remittit ultra modum, ne harmoniæ concentum lædat. Vel Deum potius, qui, ut D. Chrysostomus (q) ait: *Nec in remissione continua, nec in longa tribulatione nostram constituit animam, secundum suam prudentiam utrumque faciens. Non sinit nos continua potiri remissione, ne seniores fiamus: non autem rursus sinit in continua versari tribulatione, ne concidamus, neque desperemus.*

25 Quod monitum, *juris gentium* non malè appellari potest, cum nulla fuerit gens, quæ suo modo, moreque aliquos ludos non instituerit, ut post alios novissimè Bullengerus (r), Souterius (s), Pantoja (t), Meursius (u), Beyerlinchius (x), & alii demonstrant, & graviter ostendit Seneca (y) eosdem, dummodo moderati sint, commendans, nam frequens usus omne animi pondus eripiet, addensque, *Legum conditores festos instituerunt aies, ut ad hilaritatem homines publicè cogerentur, tamquam necessarium laboribus interponentes temperamentum.*

26 Quod & plures leges (z) Romani juris ostendunt, jubentes, ut populis lætitia reddatur; & non tam in Regibus voluntarium, quam necessarium, docet Cassiodorus (a), dum post multa relatu digna de ludis Circensibus, & aliis, eorumque laude & utilitate, sic finit: *Hæc nos fovemus necessitate populorum imminentium, quibus votum est ad talia convenire, dum cogitationes serias delectantur abjicere. Paucos enim ratio capit, & raros probabilis oblectat intentio, & ad illud potius turba ducitur, quod ad curarum remissionem constat inventum. Expediit interdum desipere, ut populi possimus desiderata gaudia continere.*

27 Qui sanè locus, & alia, quæ supra retulimus, satis conducunt ad resolutionem questionis, tum sæpè aliàs, tum maxime his diebus in examen magno studio vocatæ, an Comædiæ, & theatrales, quas vocamus *repræsentationes*, populis (ut fieri assolet) concedendæ, vel in totum à Republica exterminandæ sint? Certè enim, licet Christianis moribus magis conveniat, ejusmodi oblectationem interdiciere, propter excessus, abusus, & peccata, quæ inde oriri cognoscimus, in quibus referendis, & exaggerandis latè Mendoza (b), & alii calamum extenderunt. Adhuc tamen plures rationes pro illius continuatione, (si abusus reformetur, & aliæ cautiones adhibeantur) existunt, de quibus alibi se se Nobis offeret opportunior dicendi locus, & interim videnda erunt, quæ non ineruditè nostri D. Franciscus de Amaya (c), & Dom. Didacus de Saavedra (d) de hoc argumento, post alios à se relatos, literis prodiderunt.

EM-

(o) Causin. in *Polistor. symb. lib. 5. cap. 32.*(p) Plutarc. in *Lacon.*(q) D. Chrysost. in *homil. 4. ad popul. Antioch.*

(r) Bulleng.


(s) Sout.

(t) Pantoja in *tractat. de ludis.*

(u) Meurs.

(x) Theat. Beyerl. *verb. Ludus.*(y) Senec. de *Tranq. cap. 3. § 15.*(z) L. unic. C. de *majum. l. 2. cod. tit. in Theo. l. 4.*C. de *pagan. l. 1. § 5. C. de spectac.*(a) Cas. lib. 3. *epist. 51.*(b) Mend. *quodlibeticis.*(c) Amaya lib. 3. *observ. cap. 5. num. 67. § 1044.*(d) Saav. *Emp. 73. pag. 553. & 554.*

VIRTUTIS SONUS PRINCIPUM HONOS.



*Fertur Achilleam Paradis lyræ ad arma ruentem
Quondam Pellæum præposuisse Ducem:
Scilicet illa suis Venerem moderatur in hortis,
Hæc rabidi furias Martis, & arma canit.
Si elegisse datur fors an solatia, Princeps,
Semper Achilleam dicito malo lyram.*

COMMENTARIUS.

I Emblema hoc ad majorem antecedentis explicationem dirigitur, Principesque hortatur & admonet, ut vel in ipsis ludicis rebus, & ad remissionem animi comparatis, semper honestum, & decorum attendant, & virtutis, publicæ, ac communis boni viam eligentes, à vitiis abstineant, & in bivio positi, bona potius, quam turpia, & probrosa aliorum exempla sibi imitanda proponant.

2 Sumiturque ex historia Alexandri Magni, cujus Ælianus (a), & alii (b) mentionem fecerunt. Qui cum Ilium venisset, & omnia studiosè contemplaretur, quidam Troum ei lyram Paradis ostendit. At ille: *Pluris* (inquit) *hæc, lyram Achillis facerem, si eam mihi ostendere posses.* Desiderabat nimirum fortissimi Ducis instrumentum, quo usus erat in præstantium bellatorum laudibus celebrandis, non examinatis, qui nihil aliud, quam infames amores, & adulteriis accommodata carmina cecinit, & fœminis captandis, demulcendisque convenientia.

3 Fuit enim Magnus hic Imperator, summus in omnibus Achillis imitator, cujus & sepulchrum videre gestiit, multisque floribus, coronis, & unguentis, *Plutarcho* (c) testante, donavit, & quoddam Homerum rerum suarum laudatorem habuerit, invidit. Magni enim momenti res est, ut Autor quidam hæc memorans addit, vel intueri vestigia saltem, vel cineres, aut saxæas moles eorum oculis contemplari, quorum virtutes, & res gestæ olim tantæ fuerunt, ut in hodiernum usque diem mille verborum elogiis decantentur, disciplinaque adeo, & exemplo sint aliis.

4 Quod nulli felicius, quam Achilli contigisse videtur, cum ejus nomen posteris ad strenuos bellatores, & insigni fortitudine homines, pertransierit, & quicquid præclarum extat, excel-

(a) Ælian. lib. 9. de *var. hist. cap. 38.*(c) Plut. in *vit. Alex.*(b) Stob. *serm. 7. Lycost. in Apoph. pag. 305.*